

lum proferes. Reliquum ergo est , quando sanguinem pro Christo dantes coelestis Regia continuo excipit & pari munere donentur ceteri morientes in Domino , dum nihil expiandum habeant in altera vita . Rursus vero hinc elucet , in Martyrum morte Judicium a Christo institutum de illorum operibus , Judicium , inquam , nobis occultum , & ab altero in fine Mundi palam habendo diversum : quod supra innuimus , atque immerito Burnetus agnoscerre noluit . Animæ profecto e Corpore abeuntes , non sua sponte in Cœlum ascendunt , aut in Inferorum supplicia descendunt . Ex judicio ac sententia Judicis æterni variæ illarum sortes pendent , & penæ vel præmia a justo Deo decernantur oportet . Igitur ubi patet , neque Impiis , neque Martyribus Retributionem differri post mortem : non nisi temere pecuniale ejusmodi Animarum Judicium negetur . Quod si de Martyribus id fateare , cur & ceteris Justis non idem contingat ? Atque hue etiam referri posse puto Parabolam Talentorum Matth . xxv . 14 . Haec bonus Pater , qui in Cœlis est , unicuique pro suo arbitrio distribuit , a singulis postea rationes exacturus de recto usu & laco percepto . Qui quinque accepérat , totidem luceratus est . Itaque , veniente Domino , gratissima illa verba audit : Euge serve bone & fidelis , quia super pauca fuisti fidelis , super multa te constitutum , intra in gaudium Domini tui . Servus autem piger atque inutilis ejscitur in tenebras exteriores : Illic erit flatus & stridor demum . Certum est , heic summam Justorum omnium Beatitudinem ; & vicissim Improborum æternas penas designari . Quum ergo statim a morte Martyres præmia percipiāt pro bono usu talentorum suorum ; Improbi vero in tenebras exteriores projiciantur : æquum est arbitrari , reliquos etiam Justos ad eamdem advocari mercedem post mortem . Neque enim , repetere liceat , unus Christi Domini ad universale Judicium Adventus exegitardus est . Ad singulorum quoque mortem is venit , & indicat . Vigilate ergo , inquit ille Matth . xxiv . 42 . quia nescitis , qua hora Dominus reter venturus sit . Beatus ille servus , quem , quum venerit Dominus ejus , invenerit sic facientem . Amen dico vobis , quoniam super omnia bona sua constituet eum Uti S . Jo Chrysostomus , aliquique animadverterunt , ad cujuscumque mortem venire heic dicitur Christus : Neque secus patitur verborum sensus ; ejus enim improvisus adventus deprehensurus est Servum operantem & paratum . Ideo & vos estoate parati , quia , quia nescitis hora . Filius hominis venturus est . Præterea non haec dicit Christus ad illos dumtaxat , quos viventes Archangeli tuba ad supremum Judicium vocabit . Nullius roboris , nullius usus sententia & exhortatio fuisset , si eos tantum respiceret , qui tunc in vivis non erant , ac solum post tot Sæcola in vivis futuri essent . Alloquitur Dominus Apostolos ipsos , atque ad eos dicit Vigilate : alloquitur & omnes , qui in ipsum credent usque ad finem Mundi ; & Beatos quoslibet Servos appellat , quos , quum venerit Dominus , ut e terreno domicilio